

VERSIONES.

28. Oleaster. Quartus Oleaster in cap. 42. Genes. num. 21. Explanans illa verba filiorum Iacob. Merito hac patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Sic ait ipse. Optima consideratio, cum senseris, poenam, culpam meminisse, cum enim Christi discipuli. Ioann. 9. hominem a natiuitate caecum vidissent, statim culpam memores, Christo dixerunt, quid peccauit hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur? licet enim aliquando poena sine culpa homini eueniat, nihil tamen mali est, si se propter culpam castigatum putet, ut in se aliquid emendandum corrigat. Discipuli cum intuentur hominis cecitatem, ac morbum, peccatis adscribunt, ut hoc magnum nobis sit documentum, cum mala, quae patimur, memores peccatorum nostrorum, non alteri causae, nisi nostris delictis referamus. Recte D. Chrysostr. homil. 24. de peccato, & confessio. habita tom. 6. Multi frequenter dicunt malo loco esse rerum, & ciuitatis statum, causamque ex imprudentia dominantium esse perhibent. Ego vero dico non magistratus imprudentia, sed nostrum peccatum, illud omnia subuertit, illud omnes calamitates inuexit, nec aliunde rerum tristitiam examina nobis superfusa sunt.

29. Threnor. 5. num. 16. Cecidit Corona capitis nostri; va nobis quia peccauimus. Maxime ponderandum; non ait, Cecidit Corona capitis nostri, va nobis, quia perdidimus regnum, quia sumus absque rege: sed ait, Va nobis, quia peccauimus! Non lachrymis lamentatur effectum depositionis coronae, quae est regis priuatio, sed causam tanti mali fleu prosequitur, quae peccatum extitit. Lytanus. Va nobis quia peccauimus! Hoc malum, & alia propter peccata nostra incurrimus. Agnoscamus in nostris calamitatibus peccatum esse eorum originem.

30. Ex mandato Darij Regis coniectus est Daniel in lacum leonum, nullumque nocumentum ab eis passus est. Postea. Tunc adducti sunt viri illi, qui accusauerunt Danielem: & in lacum leonum missi sunt, ipse, & filij, & uxores: & non perueniunt ad pavementum lacu, donec arripent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerent. Daniel. 6. num. 24. Ex regis imperio Daniel, & accusatores eius leonibus obiciuntur. Daniel absque laesione saluus est, accusatores vero eius continuo dilaniantur, ac deuorantur; vnde tanta diuersitas? forsitan ex leonum fame? minimè; vnde ergo? Iustitia Danielis eum custodiuit, malitia vero accusatorum eos perdidit, ac à fetis deuorari fecit. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 12. Eos sine mora, ait, dilaniarunt: acuit enim ferarum rabiem, non vexatio famis; sed obiectorum malitia. Vide plura de hac re tom. 3. cap. 22. quæst. 5. n. 28. 29. & 30. 31.

Ioan. 9. n. 3. Respondit Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Num. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

Num. 5. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.

D. Chrysostr. ho. Neque hic peccauit, neque mil. 55. n. 3. parentes eius, ut caecus nasceretur, sed ut glorificetur filius Dei.

Syriacus. Sed ut spectentur opera Dei in eo.

Tertul. lib. ad. Me oportet operari opera uers. Prax. Paris. cap. 22. n. 4.

Pagn. Vatabl. Quandiu in mundo fuero.

EXPOSITIO II.

SECUNDVM interrogationem factam discipulorum limitat Christus suam responsonem. Neque hic peccauit, neque parentes eius. Ut recte notarunt D. Chrysostr. Theophylact. Euthym. Beda, D. Thom. D. Bonauent. & alij: Non negat Dominus caecum in vtero suae matris peccatum contraxisse, ac parentes eius multa actualia delicta perpatriasse, ob quae aliquando infans diuina iustitia puniente monstrum nascitur, sed solum negat hunc hominem, ob hæc peccata, præ alijs, qui eisdem, vel maioribus fuerunt, coinquinati, cecitati damnatum esse. D. Augustinus tract. 44. Habebant peccatum parentes eius, sed non ipso peccato factum est, ut caecus nasceretur. Sequitur textus. Sed ut: Theophylactus existimat, quod illa particula, ut, non causam, sed euentum designaret, ut sit sensus. Quod cum ille homo esset captus oculis, euenisset ut in illo opera Dei manifestarentur. Apertius tamen dicendum est cum Chrysostr. Euthym. Lytano, Toleto, Barrada, & alijs, non euentum, sed causam significare; Apostoli quaesierunt causam cecitatis hominis, & ad hoc Christus responder. Potuit quidem Deus humorem expellere, vel quidquid illud erat, quod cecitatem effecit, sed expellere noluit, ut tanto miraculo materiam præberet, & ait opera Dei in plurali, quia in hoc vno miraculo multa fuerunt miracula, ut dicam quæst. sequenti; & non ait opera mea, sed opera Dei: omnia in gloriam Dei Patris referebat, ut nos eius exemplo Dei gloriam quaeramus in omnibus.

Me oportet operari: fecerat Dominus mentionem, ut notat D. Thomas de operibus Dei manifestandis, nunc declarat oportunitatem opera Dei manifestandi, & iniuncta sibi legatione à Patre in salutem nostram. Sicque subiungit rationem illuminandi caecum, qui non petebat curari, ut notat Caietanus; sicque Christus omnia ratione disponebat; ut etiam de edendis miraculis reddat rationem. Me oportet operari. Oportet, non significat necessitatem absolutam, ut dicunt Theologi, sed ex decreto, ac præcepto Patris ex legationeque sibi imposta, cui fideliter satisfaciendum. Opera eius, qui misit me. Hoc dicit, ait D. Augustinus tractatu 44. Et vniuersam gloriam Patri suo adscribebat. Notat tamen, quod non dicit opera Dei, vel Patris, sed eius, qui misit me. Quod expendens Maldonatus, ait, ut obligationem faciendi miracula, ipso missionis nomine declararet. Vt

31. Chrysostr. Theophyl. Euthym. Beda. D. Thom. Bonau.

August.

Chrysostr. Euthym. Lytan. Tolet. Barrad.

32. D. Thom.

Caiet. Christus de miraculis edendis dicit rationem.

August.

Maldonat.

Iesus se cognoscit obligatum, ut nobis benefaciat. Theodor.

Vt nobis benefaciat Iesus, in se cognoscit obligationem, me oportet operari opera eius qui misit me. Ex quo Theodoros Mopsuest. in Catena Græca aduertit, quod cum Sabbatum esset, quando illuminauit caecum, ex qua diei circumsstantia Iudæi illud opus erant calumniaturi, ideo antequam faceret opus illius excusationem interponit, quia oportebat facere, & adimplere opus eius, qui misit eum. Et tanta extitit Iesus obedientia, quod potius voluit se exponere calumnia, quam obligationem sui muneris prætermite.

33.

Donec dies est. Sumpta est merhapthorica locutio à tempore conuenienti operandi; in die solent homines operari, in nocte verò vacant ab opere. Diem hinc appellat Christus tempus vitæ suæ. Quandiu inter nos in hoc sæculo viuus degit; noctem verò dicit tempus suæ mortis; ait ergo quandiu dies est, hoc est vitam ago inter vos, me oportet operari opera patris mei, ac miracula facere. Venit nox. Tempus scilicet meæ mortis; postquam tunc visibiliter ut inter vos viuus degens nõ operabor, de quo latus quæst. 8. Quando nemo potest operari; non significatur impossibilitas, sed importunitas operandi, quando nemo scilicet solet operari.

34. August. Beda.

Quandiu sum in mundo. Seu quandiu ero, & vitam mortalem agam. D. August. Beda, & alij existimant, quod Dominus reddat rationem, cur præsentiam suam in hac vita diem vocauerit; tamen videtur assignare rationem, cur oporteat miraculum operari, quandiu dies est, quandiu vitam agit, quia cum sit lux mundi, non debet esse otiosa sub modio, sed debet illuminare. Lux sum mundi, homines illuminans meo Euangelio, mea prædicatione, ac miraculis, & operibus. Quærit Euthym. Quid ergo cum in celo est, non est lux mundi? Est viues, sed nunc de conuersione sua in terra dicit. Semper Christus est in mundo, & lux est mundi, sed nunc post mortem suam illuminat occulta virtute, non visibili præsentia; nec exteriori verbo, opere, ac manu faciendi, sed inuisibili potestate, & abdita sua virtute.

Euthym.

QUESTIO VI.

Quare ex amissa cecitate Dei opera in hoc homine manifestantur?

35.

Carthuf.

NOTANDVM est in limine huius questionis, quod Dominus non loquitur in singulari, sed plurali, non ait: ut manifestetur opus Dei, sed opera Dei; quod notauit Carthusian. Pomin. ait, Saluator plurale pro singulari, quia per opera Dei designat supernaturalem illuminationem caeci istius; vel potest pluraliter accipi, intelligendo per opera Dei omnia, quæ ad illuminationem huius caeci concurrerent, videlicet lenitionem oculorum eius ex spuro. Vtraque ratio Carthusiani eadem est. In hoc vno miraculo multa Dei opera manifestata sunt, vt caecus natus sine oculis oculos haberet, visum reciperet, & lutu valde improporionatum ei esset medicamentum, & quod simul interius illuminaretur, vt Christum verum Dei filium, verumque Messiam cognosceret, ac confiteretur; semper vnum Dei beneficium multa secum defert. Vnde ait Chryl. hom. 55. Ex cecitate beneficium accepisse dico. Vide tom. 1. 2. & 3. Verbum, Beneficium

Vnum beneficium multa secum defert.

Chrysostr.

Ad questionem respondet primò Theophyl. Plane, ait, non parua erat gloria, ut manifestaretur, quod ipse, qui nunc apparuit homo, sicut Deus in principio condiderit hominem. Maxime in hac curatione manifestata est gloria Dei, vt Christus à Deo Patre missus cognosceretur, vt eius filius naturalis; ac vt verus Messias in lege promissus. Dices. Si hæc cecitas permilla est huic homini, vt gloria Dei manifestaretur; ergo Deus ea causa potest affligere hominem, vt ipse glorificetur. Hoc dubium excitant D. Chrysostr. & Euthym. ac alij. Respondemus tamen, quod cum homo peccato originali factus sit mortalis, multisque miseris obnoxius, potest Deus ipso homine vt pro conditione naturæ eius ad talem finem, qualis ipsi videtur, qui vtique semper est maius bonum, vt docet D. Thom. 3. p. quæst. 69. art. 3. Deinde in generatione istius hominis talis fuit concursus causarum naturalium, vt caecus nasceretur, Deus autem noluit ipsas causas secundas impedire, vt postea ablato impedimento, restitutus oculis maxime Dei gloria manifestaretur; sic solet Deus ex malis, ac pressuris nostris bona educere, ac præparare.

Secundò D. Chrysostr. homil. 32. in Imperfecto. De hoc caeco, sit ait: quia contra regulam naturæ sine oculis erat creatus, & in transuersione naturæ opus Dei intelligatur, dum emendatur natura. Homo ex sua misera conditione sine oculis natus est, cum autem natura deficit, auctoris naturæ est eam perficere, ac reformare filius Dei, qui est imago Patris, & per quem fecit & sæcula. Ad Hebræ. 1. num. 2. vt quod perdidimus in Adam, in ipso, qui auctor erat naturæ recuperaremus. D. Irinæus. lib. 3. aduersus hæreses. c. 22. Quando incarnatus, & homo factus, longam hominum ex positionem in se recapitulauit, in compendio nobis salutem præstans, vt quod perdidimus in Adam, id est secundum imaginem, & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu recipemus.

Tertiò Rupertus lib. 9. Notandum, ait, quod lux mundi non expectauit, ut clamaret tale quid dicens; miserere mei, Marc. 10. num. 48. Sed vltro natura indigenti se se accommodauit, & gratuito beneficio, tacenti subuenit, nam hoc ad opera Dei manifestanda pertinuit. Maxime pertinuit ad opera Dei manifestanda, quod Christus non rogatus, tantum beneficium homini concederet, preces enim multum liberalitatem dantis minuunt. De Christo Domino ait August. Regnabit in domo Iacob. Luc. 1. num. 32. vulgaris difficultas, cur potius in domo Iacob, quam Isaac? In domo Isaac duo filij fuerunt, qui benedictione à parente exoptularunt, vt eam impetrarent; surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat tibi anima tua, Genes. 27. n. 19. & iterum num 31. At Iacob benedictionem duodecim filiis dedit, absque aliqua præuia eorum petitione: Congregamini, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Genes. 49. num. 1. Dicitur ergo, regnabit in domo Iacob; ibi peculiariter, ac insigniter Deus regnat, vbi dona absque postulatione liberalissime diffunduntur, quo maxime beneficia commendantur. Pro quo accipe Arnulphum Episcopum Lexouiensem Epistol. ad Laurentium Abbatem. Pulchrum sane, ait, & predicandum beneficium nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatum; nihil in eo fuit, quod beneficij minuerit maiestatem.

Quartò Glossa. Vt caecum illuminando, ait, & per eum, quid in cecitate generis humani facturus significando, filius Dei manifestaretur. In hoc præ

FF 4 alij

36. Theophyl.

Chrysostr. Euthym. Deus ex malis multa bona educit.

D. Thom.

37. Chrysostr.

Hebr. 1. Cum natura deficit, eius auctoris est eam reformare. Irinæus.

38. Rupert. Marc. 10.

Excellent beneficium datum sine precibus.

Genes. 27.

Genes. 49.

Arnulph.

39. Glossa.



Peccatorem inueteratum reformare Dei est. Theodor.

aliis mirifice Dei virtus declaratur, cum depellit cecitatem à natiuitate contractam, sic prædifficile est vitia adulta refecare, ac medicamen eis præbere. Vnde monet Theodorus 5. variat. 39. More medicorum, ait, sanioribus morbis accelerata remedia tribuamus, quando, & hoc pietatis genus est coercere infantiam criminis, ne inuenescat augmentis.

40.

Leuit. 1.

1. Reg. 3.

Peccata inueterata à solo Christo expelluntur.

Bachiarus. Elias in figura Christi peccata ingulat.

41.

Genes. 3.

Luc. 12.

Est facile peccata recētia, difficile inueterata auferuntur.

Maxim.

Sæpè Deus mandauit sibi offerre sacrificium de vitulo, agno, & hirco & hirco. Leuit. 1. n. 5. & 3. n. 7. At verò Elias vnū bouē diuisum obtulit in sacrificiū. Diuisit per membra bouē, & posuit super ligna. 1. Reg. 3. c. 18. n. 33. Quid est hoc, quod recētes victimas offerunt alij, at Elias & semel tantum bouem inueteratum? Vt denotaretur, quod si peccata denuo pullulantia, quæ altas radices in animo adhuc non diffundunt per ordinaria Dei auxilia non multa difficultate auferantur, at vetusta, & antiqua tam difficilia sunt, vt expellantur, quod hoc tantum Christo Domino sit reseruatū, cuius typum gerebat Elias. Bachiarus epistol. de recipiendis lapsibus. Aspice, ait, quod nunquam in sacrificiis pecora senio confecta iugulantur, sed ubiq; aut Agnus, aut vitulus, aut hircus aut hædus immolantur, tenera ad huc, & parua, vel modica peccata; in vno tamen loco Heliam bouē legimus obtulisse, sed hoc semel tantum. Hoc vni licuit Saluatori, qui inueterata totius populi iugulauit.

Postquam primi Parentes peccarunt; Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi. Vocauitq; Dominus Adam. Genes. 3. num. 3. A facie Domini fugiunt miseri peccatores. Postquam D. Petrus Dominum Iesum denegauit, continuo adhuc illo loquente gallus cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras fleuit amare. Luc. 22. n. 60. Combinemus nunc Petrum cum Adamo. Vterque peccat; at Adamus à facie Domini fugit, abscondit se, renuitque apparere, ita vt necesse sit, quod Dominus multiplicet voces, vt ipse ad eius conspectum veniat. At Petrus solo Domini intuitu, soloque illius oculorum ictu ad delicti detestationem trahitur, & totus in lacrymas prorumpit. Cur solus nutus oculorum Domini Petrum in penitentiam mouet, non verò sic qualibet vox Domini Adamum ad penitentiam rapit. Domini intuitus erga Petrum valde festinus in galli cantu manicauit. Continuo adhuc illo loquente gallus cantauit. Voces verò ad Adamum fuerunt post meridiem circa vesperam. Non ergo mirum quod Petrus tam celeriter vocatus, indilate ad contritionem rapiatur, cum Adamus post aliquam peccati moram multiplicatis in penitentiam impellatur. D. Maximus homil. 3. de penitentia Petri. Transgrediens, ait, vterq; præceptum pari modo delinquit: tamen facilius negatio Petri, quam Ada penaricatio. Citius enim Apostolo, quam Protoplasto, subuenitur; hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem: Ille tanquam deprehensus festinat ad lachrymas; Petrus verò prorumpit ad lachrymas, nihil voce precatus.

QUESTIO VII.

Quare tantus est Dominus vt ostendat, hunc hominem, ac eius parentes immunos esse à peccato, ob quod cecitas contigit?

INTERROGATIONI Discipulorum, Quid peccauit hic, aut parentes eius? Indilate occurrit Dominus, neq; hic peccauit, nec parentes eius, vt cæcus nasceretur. Cur tam celeriter, ac aperte hominem ostendit à peccato liberum?

Respondeo primò, quod disponebat Dominus huic homini dare visum, meritò ergo ab eo peccati notam excludit; quem enim suis donis Christus honorare volebat, obiectis criminibus noluit deturpare. Cum Dominus promississet Abrahamo filium ex Sara, quod cum illa audisset, risit, tanquam impossibilem rem iudicans animum, & sterilem parituram, vt ait D. August. quæst. 36. in Genes. Pro quo etiam arguit Dominus, quod illa negauit. Negauit Sara dicens, non risi timore perterrita. Genes. 18. num. 13. Ad quid in Scriptura non solum defectus Saræ scribitur, quod riserit, & negauerit, sed etiam statim exprimitur eius excusatio, timore perterrita. Quod notauit Lypoman. Non leuis fuit, ait, sed terribilis Domini correptio ad Saram, sed excusatur etiam ab ipsa Scriptura, quia timore erat perterrita. Elegit Dominus Saram, vt esset vxor Abrahami, ac Patriarcharum, & totius populi electi mater, & quem Deus tanto honore sublimauit, ne aliquo crimine deturpata sit, eam à crimine excusat, ac purgat.

Notam peccati remouet Dominus ab hoc homine, ac eius parentibus, & tamen cæcus natus est, vt hoc nobis sit documentum, vt maxime abstineamus, ne suprema Dei iudicia, eiusque dispositione velimus pro nostro captu inuestigare, ac diiudicare, ne in multis errores incidamus. Cum arca Domini deferretur, & extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum. 2. Reg. 6. num. 6. Cum boues recalcitarent, ne arca corrueret, tenuit eam Oza manu, cum esset Leuites, vt docent D. Hieron. Epistol. 48. Theodoretus, Lyranus, & alij, cui videbatur ex officio comperere arcam manu tenere, & tamen in hoc delinquit, & irascitur Dominus contra eum, cuius rei estd sint plures ratione; tamen si nolumus errare, ab illis Dei iudicia venerantes, abstineamus, nec enim pro nostro tenui captu Dei decreta ponderanda sunt.

Abrahamus ab Angelis, quos hospitio suscepit, multis donis, ac promissionibus muneratur. Cum inde surrexissent viri, direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos. Genes. 18. n. um. 16. Si Abrahamus videt Angelos viam suam instituere in Sodonam, cur ab eis non quærit, qua de causa illuc proficiscantur? Si socius est itineris, cur illius causas non interrogat? Non audet Dei iudicia, ac vias inuestigare, ac inquirere; sed omnia alto silentio venatur. Lippoman. Et nos discamus non curiosi esse, quid Deus cum aliis acturus sit.

Egrediens Lot cum vxore sua, ac duabus filiabus, cum plueret Dominus ignem, & sulphur super Sodomam, respiciensq; vxor eius post se ver-

42.

43.

August. Quem vis honorare cause ne dedecoret. Genes. 18.

Lypoman.

44.

Iudicia Dei veneranda, & non illa indicanda à nobis.

1. Reg. 6.

Hieron. Theodor. Lyran.

45.

Genes. 18.

Iudicia Dei non sunt inuestiganda.

46.

Genes. 19.

Cornel. Punitur qui Dei iudicia vult inuestigare.

Procopius.

47.

Origen. August. Chrysof. Euthym. Theophyl. Leont. Rupertus. Beda.

Math. 28.

48.

Lyran. Titelman. Iansen. Salmeyron. Toler. Maldonat. Cornel. Ioues.

Altern interpretatio.

sa est in statuum Salis. Genes. 19. num. 16. Quanam culpa fuit, quod hæc mulier retrospererit infictam penam Sodomitis, vt tam rigidam penam subiret; præcipue cum multorum sit sententia apud Cornelium à Lapide culpam hanc fuisse venialem; cum ergo tato supplicio punitur? Ex multa curiositate respexit mulier Sodomã, quod non solum fuit ipsam intueri, sed etiã radicem, ac originẽ tantã subuersionis inquirere, ac persecutari, & cur potius tali pœna, quã alia pleclitur? Qui in Dei iudiciis se vult intrromittere, tam rigide punitur, vt aliis sit in documentum, ac exemplum, veluti sal ad aliorum mentes condiendas, ac præseruandas. Procopius. Non vestrum, ait, omnia scrupulosius rimari, & exquirere, si Deus peccatores pœnis implicat, sufficit nosse Deum illos puniisse, quos pœnas ob scelerum enormitatem dare oportebat, velle persecutari modum, secundum quem, pœnam luerint; proteruia, & audacia, nec pietatis est.

QUESTIO VIII.

Quare Christus dixit, quod ei oporteat operari opera eius, qui misit eum?

IT Christus in præsentia, me oportet operari opera eius, qui misit me donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. Quorum verborum duplex est sensus. Et primus Origenis homil. 3. in Psalm. 36. D. Augustinus, tract. 44. D. Chrysofom. D. Cyrill. Euthym. Theophylact. Leont. Rupertus, Beda, & aliorum, qui docent, diem hic denotare totum humanæ vitæ tempus vsque ad consummationem sæculi; nox est verò alteram vitam, in qua iam nõ est tempus operandi. Sensus ergo est; me oportet operari miracula, ad fidem vocare homines, eosque docere, & eis gratiam donare, donec dies est: hoc est donec hunc mundum illustro meo lumine; iuxta illud, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Math. 28. numero 20. & iuxta sequentia verba. Quando enim sum in mundo lux sum mundi. Sicque diem efficio. Venit nox, impiis scilicet post diem iudicij; In qua nemo poterit operari; quia tunc nec fient miracula, nec opera salutis. Ioann. 12. num. 35. Ambulate, dum lucem habetis; vt non vos tenebra comprehendant.

Alter sententia est, quam tradunt. Lyranus, Titelman. Iansenius, Salmeyron, Toletus, Maldonatus, Lucas Burgen. Cornelius, & alij; quam & secutus sum in expositione; Qui per diem accipiunt tempus vitæ Christi, quo corporaliter præsens erat in mundo; iuxta illud Ioan. 8. n. 56. Abraham exultauit, vt videret diem meum. Noctum verò dicunt mortem, & tempus absentia Christi: sicut præsentia sole dies est, ipso verò recedente, nox; sensus ergo est. Quando dies est, hoc est vita corporalis inter vos dego, me oportet operari opera salutis, ad quæ perficienda missus sum à Patre, ac proinde cæcos illuminare, sicque Christus præparat viam ad cæcum hunc illuminandum, & ad hoc spectant sequentia verba. Quando sum in mundo lux sum mundi; Et subdit Christus, venit nox, tempus scilicet mortis meæ, ac meæ absentia postquam visibiter externo verbo, ac opere nihil eorum edam, quæ nunc pro salute, & redemptione hominum operor. Non ne-

gat tamen Christus quod tunc postea operabitur, vt de facto operatur, per suos Apostolos, & ministros; sicut die Sol per suam præsentiam illuminat, nocte verò non per se ipsum, sed per lunam, & stellas, vt hic notat Toletus annotat. 5. Christus modo per suos ministros mundum illuminat.

Glossa interlinealis. Nox, ait, est persecutio Apostolorum, & maxime persecutio Anti Christi. In ipsa nocte; in qua multa tribulatio, ac vexatio suis immittit, ait Christus quod tunc non operabitur, & ab operando cessabit, vt tanta pressura eorum præclara virtus maxime firmetur, ac probetur; Tertullian. lib. ad Martyres. cap. 3. Quia, ait, virtus duritie extruitur, mollitie destruitur.

Tropologicè ait Christus, quandiu dies est operandum, opus scilicet bonum, vt vitam æternam mereamur; cum verò venerit nox, mors scilicet iam non est tempus operandi. Vnde ait sapiens Ecclesiastæ 9. num. 10. Quodcumq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec oratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Et quamuis anima à corpore expedita multa scientia polleat, tamen dicitur, quod non est scientia apud inferos, vt ab illa miseria se valeat homo expedire, quæ scientia, & sapientia habet locum in hac vita, vt bene operando vitemus damnationem æternam, & gloriam consequamur sempiternam, D. Augustin. tract. 44. in Ioan. Operetur ergo homo dum visit, me illa nocte præueniatur, ubi nemo posset operari.

Maximè notandum quod ait Christus. Me oportet operari donec dies est, venit nox. Cum dicit, dies est, scilicet vita viget, & subdit venit nox: non ait de futuro, veniet, sed de præsentia venit, quia simul cum ipsa vita coniuncta est mors; & dum exoritur dies vitæ nostræ, simul iam instat hora mortis.

Postquam describitur mors filiorum Hebræorum in flumine Exod. 1. num. vltimo, statim immediate narratur conceptus, generatio Aarons, & Moylis. Egressus est post hæc, mortem scilicet puerorum, Vir de domo Leni, & accepit uxorem stirpis suæ; qua concepit, & peperit filium. Exod. 2. num. 1. Sed ad quid post aliorum interitum, immediate horum natiuitas nobis proponitur? vt ex Scripturæ ferie deprehendatur, quod nihil magis est coniunctum, ac immediatum cum hominis ortu, quàm illius occasus. D. Basilius Seleucus oratio. 9. Infantium iugulator, ait, erat fluvius, pariter & sepulchrum, ac geminus mortis coactus, stragesq; cum generatione concurrebat. Expende verbum Geminus mortis coactus. Sic copulantur mors, & vita, vt videatur mors vitæ coæua, ac simul cum illa adesse. Stragesq; cum generatione concurrebat.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Genes. 2. num. 7. D. Hieron. scripsit verbum quod Hebraicè significat inspirare, & simul spiritum emittere. Vt alto documento Moyses simul vitæ exordium, ac illius extremum finem declararet, sicque vita hominis breuis est, vt principium vitæ prognosticum funeris inuoluat, ac denotet. Preme verbum, spiraculum vitæ; non ait inspirauit animam spiritualem, & immortalem, sed spiraculum vitæ Deus in creatione hominis multus est in exprimentia eius nobilitate, quod sit elegans Dei opus: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Cur ergo pro eximia nobilitate declaranda, non dicitur inspirauit animam spiritualem, sed in spi

Tolet.

49. Glossa.

Virtus in ratione declaratur.

Tertullian.

50.

Ecclesiast. 9.

Dum sumus in hac vita operemur bonum.

August.

51. Vita huius sæculi breuissima.

52.

Exod. 1.

Exod. 2.

Selcuc.

Mors vitæ coæua.

53.

Genes. 2. Hieron. Principium vitæ prognosticum mortis

Vita valde transiens.